

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia**

Tribus Tomis comprehensa

Opuscula Spiritalia - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae  
Christianae. III. Manuductio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De  
Sacrificio Missae. VI. De Discretione Spirituum ... Operum Eminentiss.  
Cardinalis, Tom. I

**Bona, Giovanni**

**Parisiis, 1677**

§. 25. Propria Christianorum virtus humilitas

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9969**

## §.XXV. Propria Christianorum virtus, Humilitas.

**C**lamat verbum Dei, fons sapientiae, clamat omnium virtutum magister & auctor, & dicit, *Discite à me Matth. 11. 29.* Magnum aliquid audituri sumus, quis est enim qui dicit, *discito à me?* Ille est qui fecit cœlum & terram, qui omnia produxit è nihilo, qui dixit de tenebris lucem splendescere. Numquid docebit nos hæc eadem facere & novum mundum creare? sed solus Deus hæc facit. Dicit ergo ut ab illo discamus quod ipse propter nos homo factus est: *Quicum in forma Dei esset, semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Philipp. 2.* Discite, inquit, à me non mortuos suscitare, non dæmones expellere, non leprosos mundare; non cœcis lumen, surdis auditum reddere; non sicco vestigio pelagi undas calcare, sicut quidam fecerunt, quibus hanc gratiam donavi; sed *discite à me quia mitis sum, & humili corde.* Noluit docere quod ipse non esset, noluit jubere quod ipse non faceret. Ad hoc redegit omnes thesauros scientiarum & sapientiarum, ut disceremus ab ipso humiles esse. Adeò res magna est & difficilis humilem esse ut omnino dici non posset, nisi ab illo qui maximus est. Non enim posset humilia superbia tumore deposito humili fieri, nisi ab illo sanaretur, qui cum Deus esset humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. *Philip. 2. 8.* Est igitur humilitas propria & præcipua Christianorum virtus, superbis Philosophis ignota, quam præ cæteris Christus docuit verbo & exemplo, ut in novitate vitæ ambulantes ad præmium supernæ vocationis post ipsum properemus, sedulò considerantes unde peregrinemur, quo tendamus, quantum viæ egerimus, quibus præsidius ad iter peragendum muniti sumus. Nisi enim humilitas omnia quæcumque facineras præcesserit & comitetur & subsequatur, nunquam ad ultimam metam perveniemus.

Nobis quippe de aliquo bono opere gaudentibus quic-

*C. Bona Opusè. Spirit.*

R

quid egimus inficit superbia ; quæ etiam in recte factis timenda est , ne quod laudabiliter operamur , ipsius laudis cupiditate amittatur . Quod si aliquando cogitationes nostræ nos aliquid esse suggesserint , terra semper præsens est , quæ primæ nostræ originis nos admonet . Terra sumus & mox in terram revertemur . Super hoc fundamento reliquarum virtutum ædificium construendum est : nam si quis gratiam miraculorum habeat , itaut montes transferat ; si variis linguis loquatur , si dono prophetæ præditus sit , si omnes infideles ad Deum converterit , si omnes facultates suas egenis distribuerit , in maximo periculo labendi jugiter erit , extorque illi superbiæ quicquid laudabiliter fecit , nisi conscius infirmitatis suæ imminenter sibi ruinam semper timeat , & de se diffidens salutem suam cum timore , & tremore operetur . Vera Christianorum sapientia hæc est , ut discant humiles esse .

**§. XXVI.** *Homo per superbiam à Deo recessit , & ad illum per humilitatem redire debet .*

**S**uperbia vitium præ cæteris execrabile , & noxiū , ab Angelo tunc originem sumpsit , cum adversus Deum elatus ad seipsum eo deserto conversus est , bona sibi insolenter arrogans , quæ à creatore acceperat , ac si ipse sibi illorum fons & auctor foret . Illius enim sunt apud Isaïam apostata illa , & intolerabilem fastum indicantia verba : *In cœlum concendam , super astra Dei exaltabo solum meum , ascendam super altitudinem nubium & similis ero Altissimo . Isai . 14. 13.* Idem & in homine contigit , qui serpentis dolo deceptus Conditori suo æqualis esse concupivit , tanquam hoc haberet simile Deo , ut non nisi de propriis dives esset . Ideo scriptum est : *Initium superbie hominis apostatare à Deo , quoniam ab eo qui fecit illum recessit cor ejus . Eccl . 10. 14.* & in sublimitate constitutus horribiliter dejectus est . *Initium igitur omnis peccati ut eadem Scriptura testatur , est superbia . Ibid .* quam veluti hæreditatio jure à primo parente omnes accepimus ,